



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philomathi Mvsae Ivveniles

Alexander <VII., Papst>

Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645

XXXIV. Ad Franciscvm Ballatvm, In Obitvm Celsi Cittadini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12750

XXXIV.

AD FRANCISCVM BALLATVM,
IN OBITVM CELSI CITTADINI.

Rogatus à principe Academiæ Philomathum Senis, viri doctissimi mortem lacrymatur, ejusque laudes interferit, Romæ degens, ubi eum operiebatur.

*Q*uid ô retractas, non coëuntia,
Impressa dudum vulnera pectori?
Raptum dolori quid redonas
Mancipium, lacrymasque cogis
Inter fluentes condere naniam,
Atque astra divis tangere questibus?
Non sic honores nostra sacrat
Præfica Melpomene sepulcro.
Festiva molli tu melior sono,
Francisce, tendes carmina barbito,
Me dum renascens luctuoso
Funere tristitia, heu, fatigat.
Par efferendis non ego laudibus,
Fundam querelas. Occidis, occidis,
Lux una Senarum vetustæ
Gentis, & Aonidum sacerdos.
Nequicquam ad album te maneo Tibrim;
Et fracta letho fœdera conqueror
Amicus hospes, quo sepulta
Des veteris monumenta Romæ;

Qua

Qua parte vastis molibus opprimi,
 Tegique rursus contigit ædibus,
 Qua summa priscorum regeſtis
 Stant procul inferiora nostris
 Delubra templis. occidis, heu, senex,
 Materna Tusci quem colit arbitrum
 Loquela sermonis; veretur
 Quem Latii decus atque purum
 Intacta Pallas; quem sibi vindicat
 Solers alumnium Græcia; nec minus
 Doctrina clarat, qua disertos
 Esse Deus dederat parentes
 Primos, superbi quaque operis ream
 Vindex ab uno gutture miscuit,
 Elata cum frustra supernos
 Cessit humo Babylon triumphos.
 Quid mollioris me iuuet ingenium
 Artes referre, aut pergrave sensibus
 Carmen Platonis, vel reclusis
 Dotibus omnigenæ parentis
 Mentem beatam, sive retexere
 Doctam, vetustas quicquid in abditis
 Caliginosa abscondit antris,
 Seu gravidam serie recentum
 Rerum, & notandis moribus integram,
 Adempta quando quot mihi munera
 Luctus tot extendunt in ævum,
 Et memori lacerant querela?
 Sors ægra faustum deterioribus
 Quid non repensat? Protinus accidunt

*Vt rara nobis, sic repente
 Se bona proripiunt: in horas
 Merces laborum credita, redditur:
 Coëmta damnis gaudia nec juvant,
 Præcepta quantum nos acuto
 Excruciant miseros dolore.*

XXXV.

HOROLOGIVM PVLVEREVM.

E*Xiguus vitreo refluit qui carcere pulvis,
 Dum rapido monstrat quo fugit hora pede,
 Quam bene mortalis metitur munera vitæ,
 Nostraque sub fragili tempora mole refert!
 Captivi rapimur fati: quod vivimus, hoc est
 Usque mori, & tenuis, quem capit urna, cinis.*

XXXVI.

DE EODEM.

Q*ui pulvis nunc, lympa fuit, quæ lympa, Lycoris.
 Hæc dum quærit Hylam, tota abit in lacrymas.
 Irrequieta diu, guttisque tepentibus ævum
 Dum secat, in cineres aruit ipsa suos.
 Nec mores oblita, vagos jam quærit amores,
 Itque reditque viam devia, seque fugit.
 Heu, miseros quid tempus edax male vertis amantes,
 Si redivivus adhuc funere torquet amor?*

XXXVII. FRAN-